



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **PORTUS GAITANI\*** VICARIATUS  
APOSTOLICUS CONDITUR IN COLUMBIAE FINIBUS,

**PORTUS GAITANI APPELLANDUS.** Manifestavit Dominus gloriam et misericordiam suam in Columbia evangelizationis opus largis benedictionibus ditando. Nos quidem pastorali movemur sollicitudine ut Dei salutari a praecepta quam aptissima ratione ibi praedicentur omniaque loca contingant. Cum vero petitio ad Nos pervenerit ut in Columbiana terra nova quaedam circumscriptio ecclesiastica erigeretur propositum istud Nobis iustum visum est; de consilio ergo Congregationis pro Gentium Evangelizatione, habito quorum interest favorabili voto, haec statuimus et decernimus: novum Vicariatum Apostolicum condimus nomine *Portus Gaitani* appellandum, qui constet ex territorio partis australis-occidentalis Praefecturae Apostolicae Vichadaënsis necnon municipio vulgo dicto « Puerto Gaitán », hactenus pertinente ad dioecesim Villaviciéntensem. Omnia quae ad christifidelium bonum pertinent novi Vicariatus Apostolici sollicitis curis Societatis Mariae Montfortanae, quae ibidem sub Deiparae praesidio fructuosam iam navavit operam, libenter ac fiduciose concedimus. Haec omnia diligenter ad expedienda Venerabilem Fratrem Beniaminum Stella, Archiepiscopum titulo Midilensem et Nuntium Apostolicum in Columbia legamus, facta videlicet facultate quemvis alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi; re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione sine mora mittantur. Contrariis rebus quibusvis non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die altero et vicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo nono, Pontificatus Nostri vicesimo secundo.*

ANGELUS card. SODANO	IOSEPHUS card. TOMKO
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

\*A.A.S., vol. XCII (2000), n. 7, pp. 565-566

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana